

Ryba, Bohumil

**De libro amicorum Adami Lehneri a Kauba, imaginibus Ieronymi  
Mannackeri chalcographi ornato**

In: *Classica atque mediaevalia Jaroslao Ludvíkovský octogenario oblata*.  
Češka, Josef (editor). Vyd. 1. Brno: Universita J.E. Purkyně, 1975, pp.  
257-263

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/121192>

Access Date: 30. 11. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

Bohumil Ryba

Praha

DE LIBRO AMICORUM ADAMI LEHNERI A KAUBA,  
IMAGINIBUS IERONYMI MANNACKERI  
CHALCOGRAPHI ORNATO

Pragensis iuvenis nobilis Adamus Lehnerus a Kauba,<sup>1</sup> paterna stirpe medici illustris, magistri Udalrici Lehneri a Kauba nepos, materna stirpe nepos Sixti ab Ottersdorf, cancellarii Veteropragensis et hominis litterati Bohemi, mense Ianuario et Februario anni 1598, antequam Viteberga, ubi in academia studiorum causa versatus erat, discessit,<sup>2</sup> complura nomina cum magistrorum tum sodalium academicorum et commensalium in libro memoriae amicorum sacro<sup>3</sup> subscripta collegit. Qui liber in scrinio vitreo Strahoviensi oculis spectantium destinato iam diutius exponitur in ea pagina apertus, quo 20. II. 1598 nomen suum notavit ipse tunc academiae Vitebergensis rector,<sup>4</sup> postea in universitate Pragensi eodem munere fungens, *Iohannes Iessenius a Iessen*, Ferdinandi II. adversarius et denique (1621) una ex victimis supplicii Veteropragensis. Cuius lineae autographae (f. 60 v) hae sunt:<sup>5</sup>

Maxima uictoria seipsum vincere.

Rector Academiae  
Witebergensis  
Iohan(nes) Iessenius à Iessen,  
Sax(oniae) Ducum Medi(cus)  
et Professor,  
Scribebat 20. Febr(uarii)  
Anno Christiano  
CIC IC XCVIII<sup>o</sup>.

<sup>1</sup> De quo nunc A. Truhlář—K. Hrdina—J. Hejnic—J. Martínek, *Rukověť humanistického básnictví v Čechách a na Moravě*, vol. 3 (1969) p. 150.

<sup>2</sup> „inclutam Witebergens(em) Academiam deserenti“ (f. 174 r, 20. II. 1598); „ipso tempore discessus“ (f. 173 v); „Vitteberga abituro“ (f. 180 r, 21. II. 1598).

<sup>3</sup> Qui Pragae in Bibliotheca Strahoviensi, nunc in Památník národního písemnictví (in Museo litterarum Bohemicarum) asservatur, signis olim „U. IV. 20“, tum „Gr. Kasten 156“, deinde „Iconogr. E 2“, denique et adhuc „DF IV 24“ insignitus.

<sup>4</sup> Die 16. Octobris 1597 ad annum scholasticum 1597/98 electus est; cf. *Album Academiae Vitebergensis II*, Halis 1894, p. 444, 3.

<sup>5</sup> Imago lucis ope depicta (fonte non allato) inserta est libello J. Polišenský, Jan Jesenský — Jessenius, Prague 1965, ante p. 41.

Praeter haec Iessenii verba in amicorum libro nomina eorum, qui Vitebergae Adamum Lehnerum a Kauba<sup>6</sup> subscriptione dignum censuerunt, longe plura conspiciuntur. Inter quae, si temporum rationem prosequimur, primum universitatis cives vetustiores occurrunt: *Aegidius Strauch Witebergensis* (f. 181 v, 21. II. 1598), in albo academiae iam semestri aestivo 1589 inscriptus;<sup>7</sup> *Steph(anus) Xylander ex Hungariae Sepusio* [= Spiš in Slovacia] *Leutschoviensis* [Levoča] (f. 180 r, 21. II. 1598), iam semestri hiberno 1591/92 immatriculatus;<sup>8</sup> *M(agister) Friedericus Balduinus Dresdensis* (f. 125 r, „amico meo plurimum adamato“ 7. II. 1598), cuius nomen in albo Vitebergensi primum semestri aestivo 1593 exstat, postea theologiae ibidem professor;<sup>9</sup> *Christianus Dorffer Borussus* (f. 107 r, 21. II. 1598), oriundus e Kętrzyn, in albo item iam semestri aestivo 1593 inscriptus;<sup>10</sup> e studentibus semestri aestivo 1595 immatriculatis *Caspar Cramerus Leuchovien(sis)* [Levoča] *ex Hung(ariae) Sep(usio)* (f. 180 v, mense Februario 1598)<sup>11</sup> et *Reimerus Reimers Iunior Frisius* (f. 105 v cum insignibus colore elatis, 20. II. 1598).<sup>12</sup> Plurima sunt nomina eorum, qui semestri aestivo 1597 immatriculati sunt: inter eos Praga in Bohemia oriundus erat *Adamus Volf junior Pragenus* (f. 176 r, 21. II. 1598);<sup>13</sup> ex oppido Strážnice in Moravia *Ioannes Miletinsky Straznicenus* (f. 103 v, 9. II. 1598) cum insignibus colore illustratis et symbolo ipsius litteras initiales continente *Iesus Mea Salus*;<sup>14</sup> ex oppido Vrbové in Slovacia *Stephanus Kruschpierz Warbowiensis Pannonius* (f. 174 r, 20. II. 1598);<sup>15</sup> ex oppido Hliník nad Hronom in Slovacia *Johan(nes) Lycius Hlinecenus Pannonius* (f. 173 v, indicatione temporis omissa, sed verisimillime mense Februario 1598) cum duobus distichis elegiacis, Lehnero abeunti compositis:

Plurima mansuro scripsissem Carmina Adamo,  
Sed discedenti talia verba fero:  
Christe, iuuentutem magnis ornabis Adami  
Dotibus et facies, caelica signa petat;<sup>16</sup>

ex Hungaria *Matthias Syffko Leöweiensis Vng(arus)* (f. 175 v, 20. II. 1598);<sup>17</sup> Vienna (Vindobona) in Austria *Wolfgangus Sinich Iunior* (f. 108 v cum insignibus colore elatis, 20. I. 1598).<sup>18</sup> In Lehneri amicorum libro tunc nomen suum notavit etiam vir ex oppido Norden in Frisia Orientali oriundus *Aemylus Loringa Fris(ius)*

<sup>6</sup> Quod ad nominis formas attinet, hae in libro amicorum exstant: in nominativo *Adamus Lehnerus de Cauba* (f. 20 r); in dativo *Adamo Lehnero de Cauba* ff. 97 v, 98 r, 98 v, 99 r, 99 v; *Adamo Lehnero à Cauba* ff. 100 r, 103 v, 180 v; *Adamo Lehner à Cauba* f. 125 r; *Adamo Lehnero* f. 107 r; *Adamo Lechnero à Cauba* ff. 105 v, 108 v; *Adamo Lechnero à Kauba* ff. 174 r, 175 r, 175 v, 176 r; *Adamo Lechnero à Kauba Prageno* f. 173 v; *Adamo Leonero à Cauba* f. 181 v.

<sup>7</sup> Cf. Album II p. 369a34.

<sup>8</sup> Cf. Album II p. 386b36.

<sup>9</sup> Cf. Album II p. 404b38; addendum est in Rukověť 1, 131.

<sup>10</sup> Cf. Album II p. 403a30 (Raastenburgensis Borussus).

<sup>11</sup> Cf. Album II p. 424b26.

<sup>12</sup> Cf. Album II p. 424a15 (Reimerus Reimeri).

<sup>13</sup> Cf. Album II p. 440b24 (Volphius).

<sup>14</sup> Cf. Album II p. 443a21; addendum est in Rukověť 3, 329.

<sup>15</sup> Cf. Album II p. 443a18.

<sup>16</sup> Cf. Album II p. 443a20; locus natalis corrigendus est et distichorum mentio addenda in Rukověť 3, 229.

<sup>17</sup> Cf. Album II p. 441a16. Syffko ab academiae scribe vocatur „Liwizinsia“, quam formam editores in indice nominum a „Leibitz“, id est L'ubica in Slovacia, ductam esse censuerunt. Sed Syffko ipse in libro amicorum litteris nitidissime scriptis formam „Leöweiensis“ adhibuit. Qua de causa editorum explicationem dubiam et adiectivi formam potius a hungarico Lövö (velut Német-Lövö, Zala-Lövö) derivandam esse opinor.

<sup>18</sup> Cf. Album II p. 442b36 (Viennensis Austriacus).

*Orient(alis)* (f. 106 r cum insignibus colore illustratis, 20. II. 1598), qui Vitebergae sane iam antea inter academiae cives versatus est, quam semestri aestivo 1598 immatriculatus est.<sup>19</sup> Eodem fere tempore Lehnero („amico meo ac commensali percharo“) admirabilem versum hexametrum

Non vis, nec numerus, semper bona causa triumphat

inscripsit *Albert(us) Schönlonus Padibornensis* (f. 175 r, 21. II. 1598), sine dubio ex oppido Paderborn in Westphalia oriundus, qui lectionibus academicis Vitebergensibus adhaesisse, sed nomen in album inscribi videtur neglexisse.

Postquam Lehnerus Viteberga in patriam rediit, nonnullis subscriptionibus eius amicorum liber Praegae auctus est. Primum, quod quidem permirum nobis videtur, ipse symbolum „Ab alto ad alta“ et nomen suum *Adamus Lehnerus de Cauba 8. Novemb. Anno 1598 Praegae Bohemorum* inseruit (f. 20 r); non enim de patre eiusdem nominis cogitandum est, qui iam diu mortuus erat. Uno eodemque die 18. XII. 1598 quinque iuvenes vel potius pueri Platisii (Platejsové), Lehneri fratres uterini,<sup>20</sup> nomina et sententias (sane a magistro suppeditatas) inscripserunt: *Carolus Fridericus Platisius De Platensteina* (f. 97 v, „Carissimo fratri“),<sup>21</sup> *Sixtus Arnoldus Platisius de Platenstein* (f. 98 r, „Fratri caris(simo)“), *Wratislaus Albrechtus Platisius de Platenstein* (f. 98 v, „fratri suo caris(simo)“), *Wilhelmus Getrich Platisius de Platenstein* (f. 99 r, „fratri amantis(simo)“), *Fridericus Wenceslaus Platisius de Platenstein* (f. 99 v, „fratri carissimo“). Postea idem fecit Praegae 19. VI. 1600 *Fridericus a Dffenbruch* (f. 82 r). Anno 1606, loco non apposito, ortae sunt subscriptiones, quas *Bruno von Hornstein* (f. 91 r, cum insignibus colore elatis) et *Ioannes Iacobus Frelich* (f. 169 v) exaraverunt. Ultimus, qui amicis Adami Lehneri 27. I. 1610 nomen suum adiunxit, fuit *Zacharias Gregorius Cruciger Oppoliensis Silesius* (f. 100 r).

Non diu postea liber amicorum in manus alterius possessoris pervenit. Adamus quidem Lehnerus etiam 2. III. 1611 hac luce fruebatur,<sup>22</sup> sed diem illum vix diu videtur superavisse. Eodem enim anno 1611 in libro iam inscriptiones Praegae datae et ad matronam originis potissimum Silesiacae Ludmillam Veidianam eiusque filium Stephanum Veidam pertinentes occurrunt: 18. VIII. 1611 Praegae *Matthias Marcus Alnouiensis, ... Matthiae Secundi... Regis etc. Cancellariae Aulicae Scriba et Notarius publicus* nonnullas lineas „honestae et pudicae matronae Dominae Ludmillae Veidin“ dedicavit (f. 38 r); verisimillime eidem et eodem anno nonnulla Hebraea, Graeca et Latina iurista aulicus Pragensis in aedib(us) *Ill(ustrissimi) Domini Archicancellarij Sereniss(imi) Reg(is) Boe(miae) σγεδως D(octor) Joh(annes) à Loben Zu Ambtitz* obtulit (f. 65 v);<sup>23</sup> similia Praegae 1611 („meiner lieben Fraw mutter Lidmila Weidinn“) *Hans Georg Krieger Von Vechhaw* fecit (f. 129 v); eius filium („meinen guden freinden Steffan Wäidten“) Praegae 7. X. 1611 *Hansz Hainrich Von Luttitz Auf Wartta* honoravit (f. 113 r); eundem iuvenem („meinen lieben brudern Steffanus Weida Von Jawor“) Praegae

<sup>19</sup> Cf. Album II p. 450b2 (Nordanus Frisius).

<sup>20</sup> Adami enim mater Dorothea, Sixti ab Ottersdorf filia, marito suo Adamo Lehnero, medicinae doctore, a. 1583 mortuo iterum nupsit Ioanni Platisio de Platenstein, cancellariae aulicae secretario. Cf. J. Riss ČCM 35 (1861) 84; J. Teige, OSN 18 (1902) 981; J. Teige, Zákłady starého mistopisu Pražského I (1910) 529–532; V. Liva, ČMM 54 (1931) 21. Ad tres fratres iuniores primogeniti Joannis Ernesti Platisii de Platenstein (\*1586) adhuc notos (apud Liva l. c. 23) nunc e libro amicorum etiam nomina aliorum duorum, nempe Vratislai Adalberti et Friderici Venceslai, accedunt.

<sup>21</sup> Cf. Rukovět 4, 199.

<sup>22</sup> Eius litterae illo die datae in Rukovět 3, 150 laudantur.

<sup>23</sup> Cf. Rukovět 3, 170, ubi mentio autographi e libro amicorum addenda est.

1611 *Hans George Krieger Von Vechhaw*, iam supra commemoratus, salutavit (f. 131 r).

Ad quem pertinuerint, quae a. 1613 *Arnoldt Wenigell, Churfurstl. Brandeburgischer Hauptman, Luneburger, Erbgessen In Burchtorff* [= Burgdorf prope Hannoveram] (f. 77 r) et in chartula agglutinata *Hans Giry Rudolff Von Luckowan* (cum insignibus colore illustratis, f. 121 r) exaraverunt, ignoramus.

Anno 1616 *Maximilian Prandtstetter, des... Ob(eren) Landt Jägermeister Amt In Ossterreich Vnnder der Ennsz Verwalter* nonnulla hic ideo inscripsit, quod „Ist Von den Eheligleüten, denen das Buch Zuegehoret, wol Tractiret worden“ (f. 114 v). Hoc maritorum par, a. 1616 librum possidentium, *Eliam Hene* eiusque uxorem *Ludmillam, Praeae in Hradčany* commorantes, fuisse ex aliis inscriptionibus a. 1616 ortis apparet. Fieri etiam potuit, quamquam certum non est, ut de eadem ac prius *Ludmilla* ageretur, aliis verbis, excludere non possumus *Ludmillam Veidianam* viduam interea *Eliae Hene* nupsisse. Possessoris nomen proprium „*Ellias Hene*“ f. lv invenitur. Huic „*Zwlasstie milymu Panu Wotezy, P(anu) Elyassowj Hene*“, resp. „*Herrn Elias Henne anjezo aufm Ratschin*“, dedicata sunt ea, quae 31. I. 1616 bohemicè *Pawel Tumka* (f. 150 r), germanicè *Johannes Bockher aus Jauer* (igitur *Stephani Vaidae* compatriota!, f. 151 r) et *Tobias Shoffett Von Glatz* (f. 152 r) exaraverunt; uxori eius, „*Der Ehr vnd Thugentsamen Frawen Ludmillae Hönin*“ inscripta sunt, quae 9. II. 1616 *Hansz Joachim Faber* reliquit (f. 109 v). Eodem a. 1616, sed dedicatione omissa, nomina sua notaverunt 7. IV. *Ferdinando Metelini* (f. 157 v) et *Mathias Hasling* (f. 158 r). Denique sine ulla temporis et loci nota in libro etiam *Gregorius Rottkowich de Kijs Chem.* (cum sigillo e cera rubra, f. 62 r) occurrit.

\*

Antequam *Adamus Lehnerus* a *Kauba Vitebergae* nomina amicorum colligere instituit, librum chartaceum vacuum videtur sibi comparavisse, involucro membranaceo indutum et non solum in utroque operculo insignibus impressis et in operculo superiore litteris initialibus „*A[damus] \*L[ehnerus] \*A\* C[aubaj]*“ annique numero „1598“ insignitum, sed etiam intus serie imaginum chalcographicarum ornatum. Quae imagines aeneae laminae ope expressae in libro vacuo post unumquemque binionem chartaceum a bibliopega videntur esse agglutinatae. Ad nos tantum 14 pervenerunt, sed ita, ut ordo genuinus e certis stabilibusque intervallis appareret; ceterae a nequissimis quibusdam imaginum amatoribus evulsae sunt. Annotandum est in libri foliis a manu recentissima numerandis folia chartacea simul cum foliis, in quibus imagines insunt, una numerorum serie esse comprehensa.<sup>24</sup>

Sunt autem imagines chalcographicae adhuc servatae hae:

- f. 26 v imago ex longo rotunda (155 mm altitudinis, 115 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „*ERNESTVS... Archidux Austriae... Belgicarum provinciarum Gubernator*“ [frater *Rudolphi II.*, 1553—1595]  
 f. 31 r imago ex longo rotunda (160 mm altitudinis, 117 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „*MAXIMILIANVS... elect(us) Rex Pol-*

<sup>24</sup> Imagines occurrunt nunc ff. 26 v, 31 r, 36 r, 41 r, 46 r, 51 r, 56 r, 61 r, 66 r, 71 r, 76 r, 81 r, 110 r, 115 r. Vacua remanserunt ff. 3 r—19 v, 20 v—26 r, 27 r—30 v, 31 v—35 v, 36 v—37 v, 38 v—40 v, 41 v—45 v, 46 v—50 v, 51 v—55 v, 56 v—60 r, 61 v, 62 v—65 r, 66 v—70 v, 71 v—75 v, 76 v, 77 v—80 v, 81 v, 82 v—90 v, 91 v—92 r, 93 r—96 r, 97 r, 100 v—103 r, 104 r—105 r, 106 v, 108 r, 109 r, 110 v—112 v, 113 v, 114 r, 115 v—118 v, 119 v—120 v, 121 v—124 v, 125 v—129 r, 130 r, 131 v—149 r, 152 v—157 r, 158 v—163 r, 164 r—169 r, 170 r—173 r, 174 v, 176 v—179 v, 181 r, 182 r.

- (oniae), Archidux Aust(riae)... Ordini(is) Teut(onici) magnus Magister“ [frater Rudolphi II., 1558—1620]
- f. 36 r imago ex longo rotunda (166 mm altitudinis, 130 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „MATHIAS... Archidux Austriae... Comes Tirolens(is) etc.“ [frater Rudolphi II., 1557—1619, postea (1611) rex Bohemiae et (1612) imperator Romanus]; supra fenestrae marginem ligneum in recessu apparet civitas munita, tentoria militaria, tormenta bellica, conflictus equester
- f. 41 r imago ex longo rotunda (170 mm altitudinis, 130 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „ALBERTVS... Archidux Aust(riae)... Card(inalis) de latere, Arch(i)ep(iscop)us Toletanus, Lusitaniae Prorex... Belgi Guber(nator) generalis“ [Albertus VII., 1559—1621], cum symbolo „Patriis virtutibus“; supra fenestrae marginem ligneum in recessu apparet civitas „Brüsel“ (Bruxellae) cum porta, navigio velis eunte, biga, tympanista et tubicine equo vehentibus; in inferiore ellipsis parte nomen artificis legitur: „*Ieronimus De Mannacker fecit*“
- f. 46 r imago ex longo rotunda (166 mm altitudinis, 125 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „SIGISMVNDVS III... Rex Poloniae... Su(eciae), Go(thiae), W(andaliae) Rex“ [1566—1632]
- f. 51 r imago ex longo rotunda (165 mm altitudinis, 125 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „CHRISTIANVS IIII... Rex Daniae, Norwegiae, Wand(aliae), Goth(iae), Com(es) in Oldenb(urg) et Dalmenh(orst) etc.“ [1577—1648], cum symbolo „Regna firmat pietas“; supra fenestrae marginem ligneum in recessu apparet ecclesia aedificiis circumdata; intra ante altare rex-puer diademate coronatur
- f. 56 r imago ex longo rotunda (170 mm altitudinis, 130 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „Illustr(issimus) ac generos(issimus) D(ominus)... CHRISTOPH(or)us lib(er) Bar(o) a TEVFFENPACH... militiae Superior(is) Hungariae Praefectus generalis“ [† 1598]; supra fenestrae marginem ligneum in recessu apparet civitas „*Fileck*“ [= Filakovo in Slovacia] tormentis bellicis oppugnata; in turriculae culmine luna Turcica conspicitur; in fenestrae margine ligneo inferiore nomen artificis legitur: „*Ieronimus de mannacker fecit*“. (Vide, sis, imaginem lucis ope depictam.)

**Ieronimus de mannacker  
fecit**

- f. 61 r imago ex longo rotunda (168 mm altitudinis, 130 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „Serenissimus SIGISMVNDVS Transil-<v>aniae, Valachiae et Moldaviae Princeps“ [Sigismundus Báthori, † 1613], cum symbolo „Pro Christo et Patria“; supra fenestrae marginem ligneum in recessu ex arce „*Tergouist*“ [= Targoviste] ipse Báthori, imperii insigne manu tenens, equo vehitur equitum turma praecedente; praeterea apparet tentoria militaria, tormenta bellica, alii equites, aquila deorsum cadens, stella caudata

- f. 66 r imago ex longo rotunda (170 mm altitudinis, 132 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „Illustrissimus Princeps CAROLVS MANSFELDIAE Comes, summus Caesare<i> exercitus imperator“ [1543—1596]; supra fenestrae marginem ligneum in recessu apparet civitas munita „*Gran*“ [= Strigonium, Esztergom, Ostrihom] tormentis bellicis oppugnata; in turris culmine luna Turcica conspicitur
- f. 71 r imago ex longo rotunda (157 mm altitudinis, 122 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „Serenissimus GVILHELMVS, Comes Palatinus Rheni, Superioris ac Inferioris Bavariae Dux“ [Guilelmus V., Pius dictus, † 1597], cum symbolo „In Deo faciemus virtutem“
- f. 76 r imago ex longo rotunda (150 mm altitudinis, 114 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „Serenissimus FERDINANDVS, Comes Palatinus Rheni, Superioris ac Inferioris Bavariae Dux“, cum symbolo „Sicut fuerit voluntas in coelo, sic fiat“
- f. 81 r imago ex longo rotunda (164 mm altitudinis, 123 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „Illustrissimus IOANNES MEDICE<V>S, Magni Comes (!) filius, Ioannes (!) nepos“ [Giovanni Medici 1566—1621, Cosimi I. Magni († 1574) filius, Ioannis Medicei († 1526) nepos]
- f. 110 r imago ex longo rotunda (166 mm altitudinis, 125 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „Sultan MAHVME<T> III., Amuratis III. filius, Osmanicae stirpis XV., Turcarum Imperator, aet(atis) XXX“ [Muhamed III., 1566—1603]; supra fenestrae marginem ligneum in recessu in urbe „*Constantinopel*“ (Constantinopoli) apparent Turcarum tiatorum figurae; in fenestrae margine ligneo inferiore artificis nomen legitur: „*Ieron. de mannacker fecit*“
- f. 115 r imago ex longo rotunda (170 mm altitudinis, 130 mm latitudinis) cum inscriptione circumferentiali „SINAN BASSA, natione Albanus, copiarum Turcicarum praefectus, aet(atis) LXXXIII“; supra fenestrae marginem ligneum in recessu turma equitatus Turcici cum lunae signo ad Danubium („*Dona flu(vius)*“) procedit, nonnulli equites fluvium iam traiciunt.

Non dubium est, quin haec imaginum aeneae laminae ope expressarum series rarissima sit. Tres imagines (ff. 41 r, 56 r, 110 r) nomine artificis *Ieronymi de Mannacker* signatae sunt. Eius nomen in magno artificum lexico Nagleriano (G. C. Nagler, Neues allgemeines Künstlerlexikon) non apparet; sed in eiusdem Nagleri opere, quod *Die Monogrammisten* inscribitur, in vol. III p. 1093 num. 2824 saltem haec commemorantur: „*Jeronymus Mannacker* nennt Paul Behaim in seinem handschriftlichen Cataloge von 1618 einen Formschneider und deutet die Initialen I. M. auf ihn. Ein Künstler dieses Namens ist nicht bekannt, Behaim wird aber Kunde über ihn gehabt haben, indem der Künstler in der zweiten Hälfte des 16. Jahrhunderts in Nürnberg gelebt haben dürfte.“

Nunc ex Adami Leheri amicorum libro Strahoviensi non solum tres imagines chalcographicas certissimo nomine Ieronimi de Mannacker insignitas novimus (Mahumetis III. f. 110 r, Alberti VII. f. 41 r, Christophori a Teuffenbach f. 56r), sed si compositionem typicam — nempe staturam ante fenestram collocatam, cuius margo ligneus inferior fere in altitudinis duabus quintis partibus ad libramentum ducitur, supra quem in recessu nonnulla ad vitam effigiati alludentia afferuntur — consideramus, eidem artifici summa cum veri similitudine etiam posteriores sex imagines ex reliquis 11 imaginibus, in amicorum libro contentis, attribuire possumus (Sigismundi III. f. 46 r, Christiani IV. f. 51 r, Mathiae archiducis f. 36 r, Sigismundi Báthori f. 61 r, Caroli de Mansfeld f. 66 r, Sinan Bassa f. 115 r).

Quodsi quaerimus, quando hae imagines Mannackerianae e prelo chalcographico exierint, respiciendum est imaginem Christophori a Teuffenbach (f. 56 r) demum post 24. XI. 1593 oriri potuisse, quo die Teuffenbach oppidum Fil'akovo a Turcis occupatum expugnavit;<sup>25</sup> imaginem autem Alberti VII. (f. 41 r) non prius quam a. 1596, quando Albertus gubernatoris Belgici munere fungens Bruxellas pervenit. Ad hunc ipsum annum 1596 pertinet cum imago Mahumetis III., anno 1566 nati, ut inscriptio circumferentialis („aet. XXX“, f. 110 r) testatur, tum imago Caroli de Mansfeld (f. 66r), qui Strigonio a Turcis occupato a. 1596 potitus est eodemque etiam anno obiit.<sup>26</sup> Altera ex parte imagines Mannackerianas iam ineunte anno 1598 excusas exstitisse ex amicorum libri involucri et primis subscriptionibus edocemur. Itaque hanc imaginum seriem a Ieronimo Mannacker potissimum annis 1596—1597 aeri esse incisam conicimus.

<sup>25</sup> Cf. C. Wurzbach, *Biographisches Lexikon* 44, 64.

<sup>26</sup> Cf. *ibid.* 16, 401.



